



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reverendi Dom. D.|| Leonardi || Rvbeni SS. Theolo-||giae  
Licentiati Abbatis || Ordinis D. Benedicti Mo-||nasterij  
Sanctorum Apostolorum Petri & || Pauli Abdinckouensis,  
in ciuitate || ...**

**Ruben, Leonhard**

**Padibornae, 600 [i.e. 1600]**

**VD16 R 3400**

Cap. I. Qui sint falsi prophetæ.

[urn:nbn:de:bvb:12-bsb10194563-1](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bvb:12-bsb10194563-1)



R. D. D.

LEONARDI  
RVBENI SS. THEOLO-  
GIAE LICENTIATI ABBA-  
TIS ABDINCKHO-  
VENSIS.

DE FALSIS PROPHETIS.

CAPVT PRIMVM,

Qui sint falsi Prophetæ.

**I**CET aliquando sacræ literæ  
vt 3. Regum 18, & 19. 4. Reg.  
10. 2. Paral. 18. Ieremiæ 6. &  
compluribus alijs in locis, no-  
men Prophetæ falsis prophetis tribuant,  
magna tamen inter veros & falsos est dif- *Differen-*  
ferentia. Verorum siquidem propheta- *tia vero-*  
rum est, sempiternæ veritati sese confor- *rū & fal-*  
mare, nihilq; vel verbo, vel signo (nam & *forū pro-*  
signis externis vaticinantur aliquando v- *phetarū.*

C triq;



## 2 DE FALSIS PROPHETIS.

trique; prophetæ) populo proponere, quod inspirationi diuinæ & veritati non sit consentaneum. Falsorum verò prophetarum est, vel meris mendacijs populum à veri DEI cultu abducere, vel veris piorū prophetarum vaticinijs & locutionibus suas ementitas & propria mente excogitatas interserere. Ex quorum genere, primas facilè tenent in sacris literis omnes idolorum sacerdotes veteris instrumenti: Ex horum genere potissimi erant illi, quos Iezabel impia, Eht Baal regis Sidoniorum filia, vxor impij Achab habuisse scribitur. 3. Reg. 18. 19. 2. Par. 18. 5. ex prophetis Baal quadringentos quinquaginta, & prophetas lucorum quadringentos, qui omnes comederunt de mensa Iezabel. Et tempore Cyri Persarum regis, septuaginta sacerdotes Baal. Daniel. 14. 2. 9. quibus impendebantur simillæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, viniq; amphoræ sex. Est enim hoc genus hominum, vt lupis simillimum, Matth. 7. 15. Actor. 20. 29. ita voracissimum. Præter hos, fuerunt & alii, tam in veteri, quam in nouo testamento, qui præ se ferebant quidem cultum veri DEI in veteri testamento, sicut in nouo Christianismi: verum mixtum erroribus & infinitis men-



tis mendaciis sola hac ouina, & pelle, & no-  
 mine, naturam & ingenium lupi rapacis fi-  
 mulantes, & contegentes. Ex quorum ge-  
 nere in veteri testamento erant quadrin-  
 genti prophetæ Achab. 3. Regum 22. 6.  
 quorum facile princeps erat Sedechias, qui  
 & signis externis, & verbis, falso vaticina-  
 batur. Fecit enim sibi Sedechias, filius Cha-  
 naana, cornua ferrea, & ait, *His ventilabis*  
*Syriam, donec deleas eam; omnesq; prophetæ*  
*similiter prophetabant, dicentes, Ascende in*  
*Ramoth Galaad, & vade prosperè, & tradet*  
*Dominus in manus regis.* At falsos prophe-  
 ras fuisse omnes istos, dempto Michæa fi-  
 lio Iemla, præter librum 3. Reg. 22. 11. &  
 2. Par. 18. 10. ostendit. Ieremias prophe-  
 ta cap. 29. 21. *Hec dicit Dominus exercituum*  
*Deus Israël, ad Achab filium Colia, & ad Se-*  
*dechiam filium Maasia, qui prophetant vobis*  
*in nomine meo mendaciter. Ecce ego tradam*  
*eos in manus Nabuchodonosor regis Babylo-*  
*nis, & percutiet eos in oculis vestris.* Nec mi-  
 rum, mendaciter eos prophetasse, cum de  
 iisdem decipiendis dicat Satan ad Domi-  
 num. 3. Reg. 22. 22 *Egrediar, & ero spiritus*  
*mendax in ore omnium prophetarum eius, sci-*  
*licet Achab.* Talis erat qui in Bethel de-  
 cepit verum prophetã, missum ad denun-

*Sedechias*  
*as falsus*  
*propheta*



4 DE FALSIS PROPHETIS.

ciandum Ieroboam. 3. Reg. 13. 22. scissionem altaris idololatrici ab eo sacrilegè excitati: & effusionem cinerum eius, deniq; extremum exitium sacerdotum excelsorū istic thura cremantium. *Ego* (inquit ibidem ver. 18. falsus ille propheta) *propheta falsus.* *sum similis tui, & angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens. Reduc eum tecum ut comedat panem, & bibat aquam, & fessit eum: Vnde postea à leone suffocatus expiravit.* Talis Semeias, cuius fallaciam tradit Ieremias cap. 29. 24. 25. 26. 27. De quo tandem ibidem Dominus subiungit. *Propheta falsus* *propheta* *falsus.* *eo quod prophetauit vobis Semeias, & ego non misi eum, & fecit vos considerare in mendacio: Iccirco hac dicit Dominus, Ecce, ego visitabo super Semeiam Nehelamiten, & super semen eius; non erit ei vir sedens in medio populi huius, & non videbit bonum, quod ego faciam populo meo, ait Dominus: quia prauaricationem locutus est aduersus Dominum.* Talis Hananias qui Ieremiæ 28. 10. ex collo Ieremiæ arrepta, & contracta catena, falsò vaticinabatur contractum iri imperium Nabuchodonosoris regis Babylonis, de collo omnium gentium. Cui Dominus, *Catenas ligneas contrivisti, & facies pro eis catenas ferreas.* Et ad eundem paulò post Ieremias.



mias. *Audi Hanania : non misit te Dominus, & tu considerare fecisti populum istum in mendacio. Idcirco hac dicit Dominus, Ecce, ego mittam te à facie terra, hoc anno morieris: aduersus enim Dominum locutus es. Talis Amasias, Amos 7. 10. 17. Tales fuisse, & futuros esse tempore Euāgelij satis ostendit Dominus, cum Matth. 7. 15. monet suos, vt caueant à falsis prophetis venientibus in vestimentis ouium, cum intrinsicus sint lupi rapaces. Surgent enim, vt est Matth. 24. 24. Luc. 17. 23. PseudoChristi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Cuiusmodi tempore D. Pauli erat Hymenæus & Philétus, de quibus ita 2. Timoth. 2. 17. Sermo eorum vt cancer serpit, ex quibus est Hymenæus & Philétus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuertebunt quorundam fidem. Sed & multi pseudoprophete exierunt in mundum tempore D. Ioannis Apostoli, vt in prima epistola cap. 4. 1. videre est: quin etiam teste eodem capit. 2. 18. tum Antichristi multi facti sunt. Neque huic rei defuit vaticinium D. Pauli Apostoli, quem ita D. Lucas in Actis Apostolicis cap. 20. 29. inducit*

*Falsi prophetae in nouo Testamento*

*Hymenæus & Philétus.*



## 6 DE FALSIS PROPHETIS.

loquentem. Ego, inquit, scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate. Luporum istorum & falsorum prophetarum multitudo, quomodo ad hæc vsq; infelicia sæcula accreuerit, nullus est qui non videat. Ex quorum numero non infimus fuit Lutherus, qui iam iam animam agens, virus quod diu in animo eius latitauerat euomens, ait, Pests eram viuens, moriens tua mors ero Papa. Verus ne hic an falsus Propheta fuerit, iudicent illi, qui Clementis diuina miseratione Papæ VII. tum vitam agentis, decimum ab eo Clementem VIII. cum felicissimo Ecclesiæ Catholicæ successu successorem nouerunt, & Romanæ Ecclesiæ non otiosum aut pestiferum, sed vigilantissimum Pontificem. De eorum fallacia & deceptionibus vide sequens caput quintum & decimum.

\* \*  
\*

CAPVT

*Luther<sup>9</sup>  
falsus pro  
pheta de  
morte papæ.*

*Pōtiffices  
Romani.*